

dum proposuerunt. Quare multo melius & con-
sultius est ad conciliandā concordiam Ecclesie, &
gloriam Christi, atq; populi salutem, omissa hac
disputatione de transubstantiatione, de qua nec ij,
qui eā defendunt quicquam certi statuere possunt,
monstrare populo uerū usum sacramenti. Et hunc
esse primum & præcipuum finē institutionis quē
Christus ipse, & Paulus clavis uerbis exprimunt,
ut in unum conueniamus ad edendū & bibendum
Christi corpus & sanguinem in memoriam ipsius
uidelicet quòd ipse pro nobis suum corpus tradi-
derit, & sanguinem suum effuderit in remissio-
nem peccatorum, & hac communionem Christo,
incorporemur, profiteamur nos habere commu-
nem cum alijs communicantibus fidem, & comple-
tamur nos inuicem mutua dilectione, sicut mem-
bra eiusdem corporis sese amant & iuuant.

Articulus 15. Louan.

Non est laicis necessaria ad salu-
tem communio sub utraq; spe-
cie: iustisq; de causis ab Ecclesia
sancitum est, ut illis sub una tantū pa-
nis specie sacramentū cōmunicetur, in
quo carnem et sanguinē, atq; ita totum
Christum sub una specie sumunt.